...is: Quaestio de iustificatione.

Fevl. 2906

# QVÆSTIO
## DE IVSTIFICATIONE,

*A*

M. SIMONE HALICIO
S. Th. Bacc: ad diſputandum
in Alma Academia Crac:
propoſita.

Præſidente
*Admodum Reuerendo Domino*
MARTINO CAMPIO
VADOVIO,
S. Theol: Doctore, publico
Profeſſore, eiuſdemq; facultatis
DECANO, ad S. Floriani
PRAEPOSITO.

Diſputabitur in Lectorio D. D. Theologorum, Menſis Martij. die

CRACOVIÆ,
Anno Domini. 1621.





Archetypum virtutis habes dum stemmate in isto
Ferrum, & Dictynnæ lampadē vtrinq; vides
Quid denunciet hoc tā nobile agalma requires?
Præsuleum fere par imperium superis.

Illustrissimo ac Reuerendissimo Dño,

# D. MARTINO SZYSZKOWSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis gratiā Episcopo Cracouieñ: Duci Seuerieñ: Academiæ Cracouieñ: Cancellario, Domino & Patrono suo longè optimo.

M. SIMON HALICIUS humilem deuotionem.

*POst iacta in studio Theologico principia, post auditionem & lectionem destinati ex lege Academica temporis, fero in lucem Tuam primos fructus* Illustriss. D. *vt videas doctrinæ sanitatem Episcopus, foueas ingenij Academici contentionē Cancellarius. Hæc intellexi esse Tui desiderij, hæc mei officij: nec Tibi gratius, nec mihi pulchrius quicquam futurum existimaui. Quàm vehementer cupias florere scholam Cracouien: & in ea præcipuum sapientię decus Theologiam, quando in obscuro potuit esse? Siquidem*

 dem

*dem, in his quoq; periculosissimis Reipub: temporibus non omittis præclaras Tuas cogitationes de nobis. Testantur id nuper ad Vniuersitatem nostram amantissimè scriptæ literę, testatur Anna S. septem Ecclesiis Romanas diuitias prę-ferentibus per Te annumerata.* Nemo *nostrûm institit, cum veteribus amicis, cum literulis in abdito loquimur, & ecce repentè ipsa in nos incurrit insignis beneuolentia Tua. An verò frustra suscepti fuissent Tui labores in preciosissimis istis gratiis à* SS, D.N. PAVLO V. *Dño benignissimo impetratis, nisi nobiliorem earum partem in Ecclesia nostra reposuisses:* Crucis *sanctæ monile, vnum ex omnibus iucunditatibus, gloriis, dignitatibus conflatum, vnum, inquam, cordiale Tuum oblectamentum est, & hoc nobis communicas: accipimus reuerenter, & quasi in media* Hierusalem *occinimus illud magni amatoris* Crucifixi: *Nos autem gloriari oportet in cruce* Domini *nostri. Equidem quoties considero diuinum hoc Tuum atq; incredibile bonitatis genus erga nos, existimo intelligere Te pro* Tuâ *singulari sapientiâ, hoc triplici funiculo, simul integro, Ecclesiâ, Repub: Academiâ,*

om-

omnia in hoc Regno amplißimo salua, integra, florentia fore. Antiqua hæc est principum virorum in Repub. Polona sententia, antiqua & post pietatem virtus, amare Ciuitatis suæ originem et propaginem Academiam. Huius antiquitatis ex situ et squalore vindicandæ, si tanta est apud Te gloria, quanta in nobis debet esse pietas et gratitudo? Pulchrũ duximus singulari obseruantiâ, Te Patronum nostrum singularem sequi, pulchrius non consequi, et quod inde nascitur, pulcherrimum perpetuâ colẽdi necessitate stringi et obligari. Itaq; cùm maiores ex ordine meo, maioribus Te recreârunt gratiarum testimonijs, paruus ego, meâ tenuitate, meam pietatem in Te contestor. Res quidem magna est, Iustificationis veritatem in Ecclesia Catholica, in campo Academico velle tueri: nam hîc ferè omnis Theologica summitas consumitur. Moysen et Christum integrè vnum hoc explicat mysterium, huc omnis hæreticorum dolus, fraus, aries dirigitur. Sed cùm vna sit ad vitam ianua, vnus à corruptione ad immortalitatem recursus Iustificatio, nec quicquam periculosiùs in articulis Catholicæ fidei ignoretur, vel quæ

 fuisse

fuisse in eo genere argumēti profectū vtile iudicaui. Hæsissem adhuc, nisi Tu sapiētissimis sermonibus in Synodo proximis temporibus, cum magna nominis Tui ad posteros immortalitate celebrata hærentem excitâsses. Quid enim egit illa Tua ad Clerum multùm salutaris Oratio, quàm vt formam boni Pastoris, pij Sacerdotis, inculpati Clerici, vbiq; locorum figeres, atq; Tuam Episcopam Cracouieñ: optimis exemplis, purissimis doctrinis, ad iustificationis studium prouocatam cœlesti sponso quàm arctissimè coniūgeres. Attento primùm in schola, quod commendas in Ecclesia, si authoritate firmas, si beneuolentia serenas, si iudicio erigis conatus meos: non erit difficilè cum Tuo Patrocinio, quāuis incipienti Theologo ex re difficili quęrere triumphum. Nihil enim ita crudum aut incoctum fore arbitror, quod non à Tuarum ex magnis virtutibus imaginum splendore maturitatem aut perfectionem capiat.

Ecce et de Cruce quam amas, et quam Tuo exemplo nobis amandam proponis, appono oratiunculam, à me ante annum in concione Academiæ habitam. Crucis Hierosolymitanæ diuiti-

as

*as, quasi alter Heraclius, nuper ad nostræ S. Annæ cum solenni pompa intulisti, crucem nostræ pietatis testem accipe. Quodsi nostra obscurior gratia non ex propinquo magnam Tuam gratiam aspiciat, ille qui ex Cruce in vniuersum genus humanum amplissimas voluit effundere diuitias, ille inquam te aspiciat, atq; in Ecclesiæ suæ ornamentum, in patriæ communis solatium, coronet diu quàm plurimis suis misericordiis & miserationibus. Datum ex Collegio Maiori ipsis Nonis Mart.*

# QVÆSTIO DE Iustificatione.

VTrum præter dispositiones gratuitas, fidei, spei, timoris, cæterorumq; actuum liberi arbitrii, & Iustitiam inhærentem seu gratiam gratum facientem, ad consequendum ex condigno vitæ æternæ præmium, homini adulto, & post Baptismum superuiuenti, necessaria sit necessitate simplici actualis Iustitia, vt efficienter salutis æternæ meritoria necne?

## CONCLVSIO I.

*Omnes dispositiones gratuitæ, seu motus liberi arbitrii, vt principium materiale gratiæ gratum facientis, simpliciter necessariæ sunt homini impio adulto ad recipiendam iustificationem.*

### CONSECTARIA.

I. Motum liberi arbitrij, etiam in absoluta Dei potentia requiri, vt impius adultus possit recipere iustificationem.

II. Infantes quia nondum habent vſum liberi arbitrij, alienâ diſpoſitione capaces ſunt iuſtificationis.

III. Fides quæ initium iuſtificationis dicitur, tam latè patet vt verbum Dei, eſtq; in intellectu ſubiectiuè.

VI. Ex fide ſic accepta, quamuis oriantur timor, ſpes, dilectio, & alii motus, realiter tamen ab ea diſtinguuntur.

V. Huiuſmodi fides poteſt eſſe ſola, & habere vim iuſtificandi, per modum diſpoſitionis.

## CONCLVSIO II,

*Iuſtitia inhærens habitualis, cùm ſit forma eſſentialis in gratia conſtituti hominis, ſimpliciter eſt neceſſaria ad complendam in actu primo Iuſtificationē, tam infantibus, quàm adultis.*

CONSECTARIA.

I. Iuſtitiæ inhærenti habituali, formaliter peccatum opponitur, neq; poteſt ſimul cum eo conſiſtere.

Expulſio peccati & infuſio gratiæ habitualis ſunt duæ mutationes realiter diſtinctæ.

III. Or-

III. Ordinariâ Dei lege, per Iustitiam habitualem, censetur esse homo dispositus ad finem super naturalem assequendum.

IV. Iustitia hæc verè nostra est, & præter peccatorum veniam confert internam renouationem.

V. Infantes per actum Ecclesiæ iustificati, omnes quidem gratias & virtutes quas alii, sed tamen in habitu consequuntur.

CONCLVSIO III.

*Vita æterna cùm sit mera Dei gratia, per modum meriti non potest haberi, nisi ex dono gratiæ Dei mouentis, & cooperantis*

CONSECTARIA.

I. Ad fruendum Deo nulla creatura ex vi & actione sua immediatè se eleuare potest.

II. Gratia, quà gratia, nunquam in debitis habetur, quia gratuitum vt tale, semper opponitur debito.

III. Solus Christus propter hypostaticam vnionem vt meritis suis debitam consecutus est vitam æternam.

IV. Christus quatenus caput humani generis seu Ecclesiæ, & sibi, & nobis omnibus meruit vitam æternam, & quæ ad eam requiruntur; sed modo diuerso.

V. Omnes electi siue infantes, siue adulti, ad consecutionem vitæ æternæ, præter gratiam præuenientem, speciali auxilio Dei donantur.

CONCLVSIO IV.

*Considerato modo promissionis vitæ æternæ à Deo et meritis Christi ad eum ordinatis, actualis iustitia hominibus adultis, post Baptismi gratiã superuiuentibus est simpliciter necessaria.*

CONSECTARIA.

I. Vt promissio ita & modus promissionis diuinæ vim habet á rigore satisfactionis Christi.

II. Modus satisfaciendi pacto diuino, quia innititur gratiæ iustificanti per Christum nobis donatæ, non est simpliciter omni homini necessarius.

III. Solis ratione vtentibus post Baptismi gratiam superuiuentibus, necessaria est simpliciter

pliciter actualis Iustitia ad consequendam vitam æternam.

IV. Actualis Iustitia, cùm sit quoq; gratuita, nihil derogat gratuitæ promissioni diuinæ & meritis Christi.

V. Exercitio actualis Iustitiæ potest homo ex condigno mereri donũ perseuerantiæ.

CONCLVSIO V.

*Iustitia actualis, ut est bonum morale, ex libero arbitrio cooperante gratiæ diuinæ elicitum & imperatum, efficienter est meritoria vitæ æternæ.*

CONSECTARIA.

I. Opus purè morale cum debitis circumstantijs, neq; proximè, neq; remotè meritorium est vitæ æternæ.

II. Bonum morale concursu generali adiutum potest remotè disponere hominem ad vitam æternam.

III. Assensus liberi arbitrij nonnisi speciali gratia adiutus efficitur meritorius, propter insignem læsionem volũtatis á peccato originali.

IV. Actualis Iustitia præter pactum promissionis diuinæ, multùm iuuatur à caritate ad merendum vitam æternam.

V. Vt hæc Iustitia sit efficienter meritoria, opus habet præter excitātem & adiuuantem gratiam, nouo auxilio formaliter ab istis gratijs distincto.